



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio IV. Proponuntur, & dissolvuntur argumenta in contrarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

num ceterorum actuum. Sed contra, quia Trid. cap. 8. cit. sumit justificationem eodem sensu, quo sumit cap. 7. precedenti; sed ibi solum dixerit de justificatione impii per gratiam habitualem conditionatam ab actu charitatis, quem statuit esse dispositionem ad justificationem; ergo etiam hic sumit justificationem seorsim ab actu charitatis.

43. Probatur tertio autoritate Sanctorum Patrum. D. Aug. tom. 7. lib. de Nat. & Grat. cap. 4. ibi: *Hæc gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur.* Ubi planè loquitur de gratia habituali, quæ sola infantibus datur, ibiq; nititur testimonio D. Pauli adducto à Trid. cit. Et lib. de Grat. & liber. arbitri. cap. 6. ad medium. Cui, inquit, redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors Pater? Et quomodo esset ista corona iustitie, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donarentur? ubi distinguit meritum coronæ à merito gratiæ, asseritque gloriam reddi debitam ex iustitia, gratiam verò iustificantem impium merè gratuitam, & ex misericordia. Idem habet in Psal. 110. ad illa verba. Confessio, & magnificentia opus ejus. Et tract. 44. in Joan. Et lib. de Fide, & operib. cap. 14. lib. de Spirit. & lit. cap. 29. lib. 1. ad Simplician. quest. 2. & sæpè alibi.

44. Idem habet D. Prosper, ad Gallos cap. 6. *Iustificatus homo, inquit, id est, ex impio pius factus, nullo precedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirit & meritum, ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, & per industriam liberi augeatur arbitrii.* Et D. Ambr. ad illud Rom. 11. *Si gratia, jam non ex operibus.* Manifestum est, inquit, quia gratia donum Dei est, non debita merces operibus, sed gratuita ratione, misericordiâ interveniente, concessa. Ut autem constaret loqui de gratia iustificante, subdit: *Quia veniam dare peccantibus, non aliud, quam gratia est, his, qui non requirunt, sed offertur illis.* Duplex ergo gratia est, & hoc competit Deo, ut quid abundet misericordiâ, & ut requirat, quos gratis curet. Et D. Hieron. dialog. 2. contra Pelagianos, ad finem: *Pro nihilo salvos facies illos, haud dubium, quin iustos, qui non proprio merito, sed Dei salvantur clementiâ: ubi sermo est de salute justificationis, & non de salute vitæ æternæ, cum sit de fide, iustos hanc consequi per merita.* Et D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 22. aliàs 24. *Hominis meritum, ait, divina gratia, non ut veniat, invenit, sed postquam venerit, facit: atque ad indignam mentem veniens Deus, dignam sibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum, quod remuneret.* Idem habet lib. 1. Reg. suo cap. 4. & D. Bern. serm. 67. & 68. in Cantic.

45. Probatur quarto ratione, quia ultima dispositio ad gratiam, sive contritio (idem dicendum de amore Dei super omnia,) aut consideratur, prout ordine naturæ antecedit ipsam gratiam: aut prout est jam formata per illam; sed neutro modo potest mereri de condigno primam gratiam; ergo nullo modo, cum alias non appareat. Probatur minor quoad primam partem, quia talis actus prout naturâ antecedit primam gratiam, non sit ab homine grato, neque reddit illum per se, & formaliter gratum, sed tantum dispositivè; atqui ut actus sit condignè meritorius, debet elici à persona grata, ut supra diximus; ergo &c.

46. Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia actus non potest esse meritorius de condigno illius formæ, per quam constituitur in esse talis meriti; sed ultima dispositio, sive contritio, si quam habet rationem meriti de condigno, in ea

ratione constituitur, & completur per ipsam primam gratiam sanctificantem; ergo non potest illam de condigno mereri; alioqui principium meriti caderet sub meritum, quod repugnat, ut diximus: idemque esset causa sui ipsius; ac proinde prius, & posterius se ipso; siquidem omne meritum est causa efficiens moralis illius rei, cuius est meritum; quæ omnia repugnant, ut supra diximus; ergo &c.

Dicent, actum charitatis se ipso esse iustificantem, sicque non indigere ad meritum condignum, sicut reliquos actus, informatione gratiæ habitualis; ac proinde posse illam de condigno mereri. Sed contra, quia licet actui charitatis insit vis iustificandi, de facto tamen non iustificat, saltem adequatè, independenter à gratia habituali, cuius confortio indiget, tum ad remissionem peccati; tum ad inducendum jus meriti condigni ad præmium, acceptionemque filiationis, & amicitie Divinæ, aliosque justificationis effectus, quos sola præstat gratia habitualis. Unde actus charitatis secundum a gratia non potest valorem condignum de facto fortiri, ac proinde nec ipsam gratiam, aut remissionem peccati promereri.

Hinc est, quod Richard. in 4. dist. 17. art. 1. quest. 7. P. Vasq. 1. 2. d. 219. cap. 2. P. Marat. tract. de grat. d. 12. sect. 31. P. Turrian. Opusc. 6. d. 4. dub. 12. aliique Affectæ Patris Vasq. volunt, si actus charitatis perfectæ non procedat effectivè à gratia, posse de condigno mereri primam justificationem; siquidem est forma iustificans, cui debetur justificatio, & remissio peccati; nec non de condigno prima gloria. Attamen de facto non illi convenire tale meritum; siquidem effectivè procedit à gratia iustificante; sicque principium meriti non posse cadere sub meritum. Undè cum probabile sit, principium illius actus efficiens non esse gratiam habitualem, volunt hi Authores, ejus meritum condignum respectu primæ justificationis esse probabile, & ab omni censura alienum, quod etiam sentiunt P. Soar. & Lorca apud P. Ripal. cit. num. 4. De hoc tamen infra.

SECTIO IV.

Proponuntur, & dissolvuntur argumenta in contrarium.



ARGUES 1. Jacob. 2. dicitur: *Abraham Pater noster nomine ex operibus iustificatus est?* Sed idem est justificari ex operibus, atque justificari ex merito proprio, & condigno; ergo &c. Respondeo primò, huiusmodi testimonium non agere de primâ justificatione, sed de augmento illius: unde continetur Trident. ad probandum meritum augmenti gratiæ. Secundò, huiusmodi testimonium posse intelligi de merito de congruo, quod etiam operibus convenit, ut infra dicemus.

ARGUES 2. Ex 1. Joan. 1. *Si confiteamur, inquit, peccata nostra, fidelis, & iustus est, ut remittat nobis peccata; sed peccatorum remissio, consequenterque prima justificatio facta ex iustitia Dei, denotat meritum condignum, quod, prout distinguitur à merito congruo, innititur Iustitiæ Divinæ; ergo &c.* Confirmatur ex D. Aug. ad illud, Rom. 1. 7. *Gratia vobis, & pax. Iustum est, inquit, apud Deum, ut ii, quos peccatorum suorum penitet, misericorditer separentur ab iis, qui converti nolunt: Ubi etiam D. Aug. tribuit Iustitiæ Dei remissionem pecca-*

peccatorum penitentibus concessam; quod etiam meritum de condigno denotat; ergo &c.

51. Respondeo primò D. Joan. ibi differere de peccatis venialibus, ut exposuit D. Aug. lib. de Corrupt. & Gratiæ. cap. 13. colligiturque ex proximè præmissis verbis: Si dixerimus, ait, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. & veritas in nobis non est remissionem autem venialium mereri potest iustus de condigno, licet non mereatur remissionem mortalium, quæ sola spectat ad primam justificationem. Secundò, iustitiam ibi posse intelligi, non strictam, sed legalem, & latam, quæ ex decetia, & æquitate unicuique propria tribuit. Et hinc patet ad confirmationem; loquitur enim D. Aug. de iustitia providentiali, & non strictâ, ut indicant verba illa: Misericorditer separantur, &c.

52. Argues 3. Deus promissit homini primam gratiam justificantem sub conditione operis, nempe contritionis, vel amoris Dei super omnia; ac proinde suâ se promissione obligavit ex iustitia ad illam tribuendam, posito tali opere; sed donum, quod Deus nostris actibus tribuit obligatus ex iustitia, est præmium meriti condigni, & non congrui; hoc enim ex sola misericordia donum promeretur; ergo &c. Respondeo concessâ maiori quoad primam partem cum P. Soar. cit. num. 37. P. Ripal. cit. n. 17. & aliis, negando illam quoad secundam; promissio enim Dei distinguitur in promissionem inducentem obligationem iustitiæ, & solius fidelitatis. Prior est propria meriti condigni: posterior verò quæ conceditur contritioni, potest convenire merito congruo.

53. Et huius ratio est, quia ut præmium debeat homini ex iustitia rigorosa, & tanquam ex merito condigno, non sufficit promissio, etiam sub conditione operis, sed requiritur etiam, quod opus sit proportionatum præmio, tam ex parte suæ perfectionis, quam ex parte conditionis, dignitatis, seu statûs personæ operantis, ut supra diximus: in præsentia autem contritio ipsa non est proportionata primæ gratiæ sanctificantis ex defectu, & incapacitate personæ operantis, ut patet.

54. Argues 4. Ut justificatio hodie dicatur fieri gratis, & non ex operibus, ut ait Apostolus, & definit Trid. cit. satis est, quod ejus initium sit ex gratiâ auxiliante, quæ omnino à Deo gratis conceditur, & non ob aliquod opus antecedens, per quod illa mereatur de condigno; ergo ratione illius optimè salvari potest testimonium D. Paul. & definitio Trid. licet aliunde dicamus, primam gratiam sanctificantem dari ob meritum condignum. Resp. negando antecedens; nam D. Paul. & ex illo Trid. loquitur, non solum de justificatione ratione sui initii, sive primi auxilii, sed etiam sui termini, sive primæ gratiæ sanctificantis, quæ etiam gratis, & ex Misericordia Dei conceditur, non autem ex iustitia, aut proprio debito ob aliquod meritum condignum, ut sentit D. Aug. & alii Sancti Patres supra cit.

55. Argues 5. Contritio solum prioritate naturæ antecedit infusionem primæ gratiæ sanctificantis; sed hoc satis est, ut dicatur illius meritoria de condigno: tum quia hæc prioritas sufficit inter meritum, & præmium: tum etiam, quia cum homo pro eo instanti, in quo elicit contritionem, sit in gratia, non est dicendum simpliciter, & absolute contritionem elici ab homine peccatore, sed jam grato; ergo &c.

56. Respondeo concedendo maiorem, & negando minorem, ad cujus primam probationem dicimus, prioritatem illam naturæ, licet sufficiat, ut

contritio sit meritoria de congruo primæ gratiæ, non tamen sufficere, ut sit illius meritoria de condigno; siquidem cum per ipsam gratiam constituitur in ratione talis meriti, si illam de condigno mereretur, principium meriti caderet sub meritum, quod implicat, ut supra diximus. Ad secundam dicimus, contritionem elici ab homine simpliciter peccatore, & non grato, utpote elicitam ab homine non habente adhuc gratiam sanctificantem, per quam formaliter expellitur peccatum, & homo fit formaliter gratus, licet ipsa gratia sit in eodem instanti reali cum contritione, in quo primum esse contritionis est primum non esse peccati; hoc autem sufficit, ut ipsa contritio non sit meritoria de condigno primæ gratiæ, per quam in posterioritate naturæ jam informata manet de condigno meritoria primæ gloriæ.

Argues 6. Contritio dicitur fieri per inhabitantem Spiritum Sanctum in nobis; sed inhabitat in nobis per gratiam sanctificantem; ergo per illam operatur in nobis contritionem, tanquam per aliquid antecedens ipsam contritionem; consequenterque ipsa dignificat contritionem in ratione meriti de condigno. Respondeo Spiritum Sanctum non solum inhabitare in nobis per gratiam sanctificantem, sed etiam per auxiliantem, excitantem, & concomitantem, quæ satis est ad contritionem eliciendam, non verò ad dignificandam personam, ut per illam mereatur de condigno primam gratiam, ut supra diximus. Accedit, quod si tunc Spiritus Sanctus diceretur inhabitare in nobis per gratiam sanctificantem antecedenter ad contritionem, illamque constitueret condignè meritoriam primæ gratiæ sanctificantis, ipsa gratia sanctificans, quæ est principium meriti, caderet sub meritum, quod repugnat.

Argues 7. Non implicat, quod idem sit prius, & posterius in diverso genere causæ, ut patet in causâ efficiente, & finali; ergo contritio poterit esse prior primæ gratiæ in genere dispositionis ex parte causæ materialis, id est, animæ recipientis gratiam, & esse posterior in genere causæ efficientis elevantis, seu dignificantis ad meritum condignum. Respondeo dato antecedente, & ejus probatione, de quo jam alibi, negando consequentiam; diversa ratio est, quia finis causæ alliciendo secundum esse intentionale, & objectivum, sicque potest movere causam efficientem, ut semetipsum causet in esse reali, esseque prius in esse objectivo, & posterius in esse reali; verò causalitas contritionis, & gratiæ esset secundum idem esse reale, & realiter existens, quo pacto implicat, idem esse prius, & posterius, ut supra diximus num. 15. & ex infra dicendis magis constabit.

Argues 8. Si actus charitatis est forma justificans, habet condignitatem, ut ei prima gratia concedatur; ergo erit illius meritum condignum. Respondeo admissio antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia licet actus charitatis habeat condignitatem ad primam justificationem, de facto tamen non illam meretur; siquidem deficit acceptatio Dei, quæ necessaria est ad meritum condignum in actu secundo; Deus enim de facto statuit illam non largiri, nisi in confortio, & intuitu gratiæ habitualis. Secundò, quia licet actus charitatis sit condignus remissione peccati, & illam necessariò inducat, adhuc potest ei deficere meritum condignum: tum quia remissio peccati, quæ primam justificationem constituit, non potest esse ipsius præmium ratione connexionis, quam cum illo habet scorsim à merito juxta ca, quæ

quæ supra diximus num. 12. 13. & 21. tum etiam, quia de facto prima justificatio, & remissio peccati non contingit absque infusione gratiæ habitualis, ad hujus autem consortium cum remissione peccati, tanquam novum, & excellens beneficium potest deficere condignitas actui expellenti peccatum. Ex dictis.

60. Colliges primò, licet actus charitatis sit forma justificans, non idè esse admittendum de facto meritorium de condigno primæ justificationis, etiam si à gratia habituali effectivè non procedat. Ita *P. Ripal. tom. 2. d. 87. num. 13. contra P. Vasq. Richard. P. Merat. & P. Turrian. apud ipsum n. 4.* Probatur primò, quia hoc asserere est contra communem Theologorum sensum, qui adversus vim justificandi actus charitatis, tanquam absurdum, inferunt meritum condignum primæ justificationis; à communi autem omnium sensu non potest absque temeritate recedi. Secundò, quia actus charitatis, ut diximus, de facto non justificat adæquatè absque consortio necessario gratiæ habitualis; sicque seorsim ab illo non fit condignè meritorium primæ justificationis.

61. Colliges secundò, licet actus charitatis admittatur de facto justificans, & essentialiter cōnexus cum remissione peccati, & justificatione, & à gratiā non procedens, non posse mereri de condigno remissionem peccati: & probabile esse, etiam in eā sententiā, non mereri de facto gratiam habitualem. Ita *P. Ripal. cit. num. 15.* Probatur prima pars, quia, ut supra diximus, repugnat esse præmium meriti, quod est essentialiter debitum, & connexum actui, nec ab eo dividi potest; sed remissio peccati in eā sententiā est ejusmodi, & tanquam effectus formalis secundarius seorsim à merito, & causalitate efficiente morali est connexa cum actu charitatis; ergo &c.

62. Probatur secunda pars, quia licet actus charitatis prout sic sit dignus ratione dignitatis justificativæ, ut ejus titulo remittatur peccatum, non tamen eo ipso debet esse dignus, ut simul cum remissione peccati detur illi gratia habitualis: siquidem longè majus præmium est gratia habitualis simul & remissio peccati, quam sola peccati remissio; sed quod actus charitatis sit de facto justificans, solum habet connexionem cum remissione peccati, non verò suapte naturā cum gratia habituali, utpotè à qua dividi poterat etiam ex natura rei, sicut dividuntur alii actus virtutum supernaturalium elicitī à peccatore absq; concursu habituum; ergo tali actui charitatis justificanti potuit deficere aut condignitas intrinseca, aut obligatio Dei ex justitia ad novum beneficium gratiæ habitualis conferendum de condigno.

63. Colliges tertio, licet probabilius sit primam justificationem Angelorum, Adami, & Virginis Sanctissimæ, quam primam peccatoris justificationem, posse cadere sub meritum condignum actus charitatis perfectæ, re ipsa tamen non cecidisse. Ita *P. Ripal. cit. num. 18.* Probatur prima pars, primò, quia autoritas Trident. cit. Patrum, & Scholasticorum non illi refragatur, sicut primæ justificationi peccatoris; siquidem eorum doctrina expressè solum differt de prima peccatoris justificatione, non autem de alia, quæ remissionem peccati non habet adjunctam; ergo &c.

64. Probatur secundò, quia major condignitas actus requiritur ad promerendum sibi peccatis obnoxio gratiam justificantem, quam ad eam sibi innocenti promerendam; siquidem ad superandam resistentiā, & indignitatem peccati major operis

valor exigitur, quam ad infundendam gratiam absque eā peccati resistentiā; ergo cum actui charitatis vim justificandi tribuamus, probabilius possumus illi concedere meritum condignum ad primam justificationem innocentis, quam hominis peccatoris.

Probatur secunda pars, quia actus charitatis de facto non justificat absque consortio necessario gratiæ habitualis, etiam homines innocentes; sed nullus actus, etiam hominis, aut Angeli innocentis, potest esse de condigno meritorium absque actuali ipsius justificatione, & adoptione in filium Dei, ut supra diximus; ergo nullus, etiam innocens meruit sibi primam justificationem de condigno per actum charitatis perfectæ.

SECTIO V.

Utrum possit homo per opera subsequentia mereri de Condigno primam gratiam sanctificantem?

Hæc difficultas, quæ satis constat ex supra dictis d. 3. à num. 371. & hac d. 4. à num. 35. solet specialiter excitari sub terminis propositis, & tam in ordine ad potentiam ordinariam, quam absolutam: Cum verò ex his, quæ de potentia Dei absoluta dixerimus, facile constare possit, quid de potentia ordinaria dicendum sit, illam solum excitabimus de potentia Dei absoluta sub his terminis: Utrum principium meriti, saltem de potentia Dei absoluta, possit cadere sub meritum, Hic sermo tantum erit de merito de condigno, infra enim dicemus de merito de congruo. Hoc posito.

Negativa resolutio tenenda est cum communi, ut etiam tenent *P. Vasq. 1. p. d. 229. cap. 3. & 3. p. d. 21. cap. 5. P. Lugo de Incarnat. d. 8. sect. 2. P. Amicus ibid. d. 26. sect. 6. n. 102. P. Arriaga ibid. d. 17. sect. 2. num. 7. & d. 56. de Merit. sect. 1. & plures alii*, quos supra citavimus d. 3. n. 371. & d. 4. n. 35. qui omnes pro præfati questione citari poterant. Probatur primò ex iis, quæ supra diximus locis proximè citatis, quæ etiam optimè probant præfentem questionem.

Probatur secundò, quia neque divinitus potest idem esse causa, & effectus respectu ejusdem quoad suam primam productionem, ut diximus in *Phys. tract. 2. d. 1. à n. 146.* alioqui idem esset prius, & posterius se ipso quoad suum primum esse, quod repugnat; sed principium meriti est causa efficiens moralis ipsius meriti; ergo implicat, quod sit etiam effectus ejusdem meriti; sed gratia habitualis est principium meriti de condigno, ut supra diximus; ergo neque divinitus potest cadere sub tale meritum, & ab illo causari etiam per opera subsequentia; siquidem omne opus fit condignè meritorium à tali gratia. Confirmatur unione Hypotheticæ; hæc enim cum sit principium totius meriti Christi Domini, neque divinitus potuit promereri de condigno etiam per opera subsequentia, ut supra diximus; ergo &c. Adhuc tamen in hac re variz sunt Doctorum sententiæ.

Prima sententiā asserit, potuisse Deum de potentia absoluta intendere decreto suo efficaci Incarnationem ante merita absolutè prævisa, & ex vi talis decreti videre Christum Dominum in ipsa intentione absolutè futurum, & benè operantem;